



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 3. In quanta homo mala, per peccatum lapsus sit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. III.

In quanta homo mala, per peccatum, lapsus sit?

Hunc ergo tales tantumque hominem, diaboli inuidia atque fallacia euertit, & per peccatum, è supernaturali statu, in exitium præcipitauit. Hoc enim casu, in quantum malum non deuenit? Amisit diuinam charitatem; perdidit cœlestem gratiam; iustitiam originalem exuit; induit maledictionem & animi & corporis, *sicut diploidem*: omnium virtutum (excepta fide & spe, vt resipiscere posset) fecit iacturam: deniq; æternæ salutis naufragium passus in Oceanū cecidit omnium calamitatum. Vnde & singularis illa Dei protectio directioq; illi subtracta est: & appetitus cœpit recalcitrare, frænoque rationis excusso, tanta fuit ad malum proclivitas, vt iam nihil propermodum, nisi pecare posset; tanta vis & libido cupiditatis ad delinquendum, vt à nullo, nisi solo Deo, posset sisti & coërceri; tanta imbecillitas ad ipsas etiam naturæ leges obseruandas, vt, sine cœlesti auxilio gratis suppeditato, obseruare eas non posset. Itaq; & iure cœlestis gloriæ exciderat, & naturam suam ita debilitauerat, vt illa sibi relicta, instar plumbi, suopte

Psal. 108.

29.

opere pondere & impetu, deorsum caderet,
& de peccato in peccatum lapsa, profundior-
rem semper Infernum, atrocioraque suppli-
cia æterna commereretur. Sic homo crea-
tus, ut, in cœlo, beatus & Deo fruens regna-
ret, peccati seruus, cacodæmonis mancipi-
um, & Auernalium flamarum futurum pa-
bulum factus, nonne in profundum venit?
nonne lapsus est in ipsum pelagus miseria-
rum? nonne dicere potuit? *Veni in altum,* Psal. 68.
tempestas demerfit me: Ex nihilo conditus, Psal. 72.
ad nihilum redactus sum. 22.

§. IV.

*Solus Deus hominem à peccato liberare
potuit. Et cur?*

Quis eum inde potuit eripere? Ionam, Ion. 2. 20
cum in mare projectus esset, & iam in ven-
tre piscis tribus diebus, & noctibus, densam
noctem pateretur & atrum carcerem; nemo
potuit liberare, nisi ille ipse, qui ventum &
mare, & procellas concitauit. Sic neq; ho-
minem, peccato, in tanta mala, se iacien-
tem, quisquam alias retrahere potuisset, nisi
qui hominem hæc mala meritum, ijs, velut
supplicij tempestate, inuoluit; ut illum idem,
qui fecerat, reficeret; & qui creârat ex nihi-
lo, recrearet. Magna opera magnos exigunt
magi-